





27. 1735, 2 32. 30.  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE  
**I L E O**  
EX  
**H E R N I A,**

*QVAM*  
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO  
IN REGIA VIADRINA  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE

*CONSENSU,*  
SUB PRAESIDIO  
**DN. ANDREAE OTTOMARI**

**GOELICKE,**

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. FAC.  
MEDICAE DEC. ET TRACTUS LEBUS. PHYS. ORD.

PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS SUI OMNI HONORIS

CULTU AETATEM PROSE~~Q~~VENDI,

**PRO GRADU DOCTORIS**  
RELIQUISQUE EI ADNEXIS HONORIBUS,

IMMUNITATIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC  
LEGITIME IMPETRANDIS

DIE XII. AUGUST. MDCCXXXV.

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS  
Publico placidoque eruditorum examini

*subjicit*

**FRANCISCUS JOHANNES DITMER,**  
Boitzenburg-Megapolitanus.

FRANCOF. cis VIADR. Typis PHILIPPI SCHWARTZII, A. R. T.



55

ALTO MEDICO LINGUARUM

LEO

ANNA

OBITUARIA



## PROOEMIUM.

**D**uo sunt vitia, quorum medici practici sua in arte quandoque reos se se facere possunt, imo subinde solent. Alterum est temeritas, alterum timiditas. Quamvis enim, ut proverbium habet, audaces interdum fortuna juvet: Tristis tamen non minus docet experientia, medicos ista sua temeritate miseros aegrotantes in tantam saepe calamitatum abyssum praecepitasse, ut cum morte peccata illorum lucte coacti sint. Nam si in bello bis peccare non licet; In praxi medica id tanto minus licet. Nullum tamen dubium est, quin alii nimia sua metaculofitate aequa graviter peccent, dum in morbis soniticis & cum periculo stipatis generosa re-

A

media

media negligunt, vel tempestive in usum non vocant, sicque agendi occasionem praenimia timiditate praetermittendo, morti praedam relinquunt, quam ex fauibus ejus eripere utique potuissent, si vel occasione ac tempestivitati rectius invigilasset vel generosiora, herculeo tali morbo superando adaequata, in subsidium vocassent remedia. Ne longius hinc abeamus, passio iliaca ex hernia oriunda, exempli loco inservire nobis potest. Non diffitemur, gravissimum esse hoc malum, quod peritisimo etiam & in praxi clinica versatisimo medico negotium facessat & crucem quasi figat: Sed arte quavis majus & ut nonnulli putant, per se lethale esse, persuaderi edocti sumus, dummodo audacter adgreditur artifex negotium, nec ratiunculis quibusdam a proposito suo deterreri sese patiatur. Hippocrates ipse exemplar quoddam praescripsit practicis artis, quod speculi instar pra oculis habere semper debeant: Quaecunque, inquit, non sanant medicamenta, ea ferrum sanat; Quae ferrum non sanat, ea ignis sanat; Et, quae ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet. Esto igitur, malum hocce iliacum tristia quaevis, imo mortem ipsam comminari: Ideo

Ideo tamen animum nondum despondere, sed  
spei ac fiduciae plenus negotium arduum adgredi  
dabit. Si pharmacia sola felicem non spondeat  
successum, quem inde sibi pollicetur, ad chirurgiam  
se convertat necesse est. Melius enim est, secun-  
dum Celsi consilium, anceps, quam nullum ex-  
periri remedium. Nihil tamen temere, nihil ti-  
mide, nec, quod merito addo, intempestive a-  
gere debet; Quia, si intestini incarcerati inflam-  
matio jam tanta cepisset augmenta, ut gangrae-  
nam & sphacelum, ex colore partis prolapsae livi-  
do facile aestimandum contraxisset, non inanis tan-  
tum, quae impenderetur, foret opera, sed &  
in suspicionem male peracti officii adduci posset  
medicus. Itaque ab omni non tantum temerita-  
te, sed & nimia meticuloitate ipsum alienum esse  
oportet.

Praefari haec placuit, dum specimen inaugu-  
rale editurus, tale mihi thema elegi, quod, nemine  
negante, malum concernit & gravissimum & sum-  
me pericolosum. Omnis proinde mihi opera im-  
pendenda erit, ut, si tutiori via incedere ve-  
lim, utrobique tam temeritatem quam timidita-  
tem nimiam vitem, siveque ab omni opprobrio &

A 2

meipsum

me ipsum & artem meam liberam praestem. Ut vero hoc scopo feliciter potiar, benigissimum numen devotis sollicito precibus, ut gratia sua clementissime mihi adesse & in omnem veritatem ducere haud dedignetur.

## §. I.

**M**edicam artem à Graecis summo quondam studio exultam & ab illis ad nos translatam fuisse, id inter alia argumento est, quod plerorumque affectuum morboſorum denominations, in hunc usque diem medicis uſitatas, ipsis potissimum in acceptis referendas esse, ultro fatendum nobis sit, exemplo *haemorrhagiae*, *cephalalgiae*, *odontalgiae*, *otalgiae*, *phrenitidis*, *paraphrenitidis*, *peripneumoniae*, *pleuritidis* &c. Atque ejusdem humi, nempe graecae originis, est quoque nostrae tractationis morbus gravissimus, *ileus* dictus. Quamvis enim non omnes unam eandemque vocis derivationem agnoscant: In eo tamen, graecae originis eam esse, consentiunt omnes.

## §. II.

Nonnulli itaque *ileum*, graecis ἕιλεον dictum, ἔποτε εἰλείωθαι, a convolvendo denominatum esse existimant; Eo quod intestina, potissimum tenuia, & inter ea *ileum*, gravissimo hoc inadfectu, nodi instar convolvi crediderint: Cui tamen adſertioni alii contradicunt,

dicunt, firmissime sibi persuadentes, id ob mesentrium, cui illa arcto nexo sunt conjuncta imo & ob jugem atque constantem *motus peristaltici* successum, factu prorsus impossibile esse: Quam tamen difficultatem, cum *a priori* tantum illa formetur, tamdiu suo loco relinquimus, donec, quid inspectio ocularis medicos docuerit *a posteriori*, plenius investigatum per *anatomem practicam* fuerit. Alii igitur dubium hoc cordi habentes, ἀπὸ τῆς ἐλεευ, à miserando potius morbum hunc denominatum esse contendunt; Eo quod, atrocissimis non modo tormentis excruciatos aegros, sed & foedissimam excrementorum alvinorum rejectionem per guttur superioris observantes, miserando in statu iliacos esse constitutos, haud injuria sibi perfaudeant: Quam etiam ob rationem latini, licet barbare, totum adfectum *miserere mei* adpellare non dubitarunt. Qui χορδαὶ eundem hunc adfectum denominarunt, ἀπὸ τῆς χορδῆς & ἀπτεσθαι origines vocis repertunt: Quia intestina tenuia, & inter ea maxime *ileum* flatibus conclusis & quasi incarcерatis distentum, chordae instar convolvi & quasi contorqueri existimant; Quo in statu constitutum ileon tantam adquirit sensibilitatem, ut vel levisimo digiti tactu intensissimi excitentur dolores. Quae ratio sine dubio *Coelium Aurelianum* commovit, *tormentum acutum* nominandi *passionem iliacam* candemque adfectibus acutis adnumerandi. Quia, iudice *Aureliano*, putant aegrotantes, *convolvi* atque *torqueri* suorum intestinorum verticula, i. e. sinuosos anfractus, vel, quod *spiritus* (flatus) ob *absinentiam* (compressionem exitumque nega-

negatum) *clausus* *sese involvens* *vincitiones* (spasmodicas contractiones) atque *tormenta* efficiat, vel denique, quod *vehementia dolorum* supra eas partes, quae patiuntur, patientes arcuati convolutique plicentur. Ex quibus omnibus liquido adparet, intestinorum convolutionem in animo habuisse veteres pariter ac recentiores quosdam, dum modum, quo *ileus* excitatur, adumbrare quodammodo fategerunt.

### §. III.

Latini proinde, Graecos imitati, *volvulum* seu *convolvulum* constanter dixerunt hunc affectum; Quia intestina hoc modo nodi seu chordae instar convoluta vel contorta per canalem suum nihil amplius transmittunt: Unde illa onere tanto gravata in naturali & ordinario suo motu, *peristaltico* dicto, pervertuntur isque sursum vergendo, ingenti impetu contenta omnia per os superius rejicit. Et quid impedit, quo minus a parte principaliter affecta morbi denominationem petendam esse existimemus? Licet enim non *semper*, unice ac *solitaria* *ileon* affectum esse, probandum in nos suscipiamus, sed subinde *jejunum*, interdum etiam *coccum* & *rectum* affectum esse, liberaliter concedamus: Ut plurimum tamen *ileon* praeceteris laborare, ocularis inspectio dubitare nos non finit.

### §. IV.

Age ergo, evolvamus & consulamus paulisper Practicorum, qui cadavera hominum, *iliaca passione* denatorum aperiure, observationes videamusque, quid

quid sensus desuper ipsis manifestaverint? *Platerus*, ut ejus primum mentionem faciam, in ea intestinalis fistulae parte, qua *ileum* cum *coeco* atque *colo* conjungitur, sedem ilei genuinam collocat. *Hildanus* testatur, in omnibus iliacis a se factis *intestinum coecum* morbi sedem se deprehendisse. Vedit in puerō, ileo extinto, *coecum* adeo contractum fuisse, ut nihil ex superioribus intestinis ad *colon* pervenire potuerit. *Kerckringius* auctor est, *colon* circa principium inflammatum indeque exulceratum & compressum ileo ortum causisque praebuisse. *Pernelius* in puella septenni, saevissimis ventris doloribus, tandemque liquidioris steroris vomitione extincta *coecum* penitus coangustatum atque constrictum imo à copia faecum induratarum perforatum deprehendit. In plerisque tamen herniosis, & quidem hernia *inguinali* vel *scrotali* laborantibus *intestinum ileum*, *umbilicali* vero correptis *jejunum* affectum esse, cadaverum sectiones oculariter quoque demonstrant. Sic ex hernia *inguinali* ileum lethalem fuisse ortum, ex Ephem. N. C. adnotavit *Bonetus Anat.* Pract. L. III. Sect. XIV. Obs. VII. Etiam si enim tumor in inguine sinistro vix nucem juglandem aequaverit: Sectione tamen facta deprehensum est, tunicam interiorem processus peritonei ruptam fuisse & partem ilei elapsam cavitati, quam sibi formaverat, tam arcte inhaessisse, ut sine dilaceratione vix extrahi inde potuerit. Ut vero in *bubonocele* vel *hernia scrotali* sedem mali constituit *ileon*, quod quippe, cum in regione hypogastrica potissimum situm sit & osibus pubis utrinq; incumbat, processum peritonei dilatandi transitumque tibi

sibi parandi commodissimam invenit occasionem: Ita *jejenum*, quod in regione umbilicali situm suum habet, in partu difficiili, magnorum ponderum elevatione aliquis ex caussis peritoneum dilatat herniamque parit, qua intestini hujus portio pertinaciter incarcerata & restitui nescia *ileum* gignit. Nec intestinum rectum semper insons est, quod confirmat DD. *Starck*, qui in pueru 12. annorum ex *ileo* mortuo ac deinde dissecto *rectum intortum* sive *convolutum* offendit; Id quid D. *Hartmannus* M. N. C. Ann. VII. Obs. XXIX. p. 64. & 65. pluribus enarrat.

## §. IV.

Modus, quo id fieri consuevit, non unus est, alii  
is *mutuum* intestinorum *receptionem*, aliis eorundem  
*contorsionem* & *convolutionem*, aliis aliam fiendi rationem  
statuentibus. Unusquisque opinionis sua certus esto.  
Tales autem praefigurationes non nuda opinione,  
sed autopsya nisi decet. Idque, ut adcurate explore-  
tur, omni modo necessarium est, quia non solum ad  
morbum facilius cognoscendum, sed & felicius eun-  
dem curandum symbolam suam confert.

## §. V.

At vero, ne id gratis adseruisse videamur, obser-  
vations Practicorum & sectiones cadaverum ab illis  
institutae iterum consulendae sunt. Et quod proinde  
*mutuum* unius intestini in aliud *ingressum* attinet, illam  
primum calculo suo non modo probat sed & ad se-  
ctiones mortuorum provocat *Francisc. de le Boe Sylvius*  
*Præcessus*

Præcessus Med. L. I. Cap. XV. §. XVIII. hisce verbis:  
 Altera inquit, *bujus mali causa* (primam enim in intestinorum gangraena ipsamque comitante eorundem corrugatione & coarctatione reposuerat) *post mortem a me deprehensa fuit intestini tenuis, parte quavis coarctati ingressus in partem proximam, sed flatu solito magis expansam.* Id quod iisdem propemodum verbis repetiit Fridericus Deckernus in notis & observationibus ad præcinctum Barbettianum; Ita enim loquitur: *In omnibus hoc affectu extinctis cadaveribus dissectis accuriores invenerunt vel intestini gangraenam vel intestini tenuis coarctati ingressum in partem proximam, flatu prius turgidulam.* Eandem hanc *mutuam susceptionem* admittit quoque Ruysschius, magnus ille Batavorum Anatomicus, idque non modo in adultis, sed ipsis plane infantibus, in quibus posterioribus recte omnino suspicatur, fortiores motus epilepticos mutuae hujus receptionis familiariores caussas esse; Id quod ut tanto majorem meratur fidem, portionem intestini ilei mutuamque ejus susceptionem in liquore asservatam curiosis, cum viveret, monstravit, in notula adjecta insuper addens, se in uno eodemque cadavere *mutuam* illam intestinorum *susceptionem* quatuor quinqueve locis observasse. Conferri potest Obs. XCI. p. m. 84. ejusdem Ruysschii & No. XIV. Affer. I. Thes. Anat. IV. & Th. Anat. I. Affer. II. No IV. Imo & Acta medico-physica N. C. Ann. VIII. Obs. XVIII. p. 64. observante Hünerwolffio, *ilei* talis pernicialis casum de filiolo septem, in cuius cadaverculo intestinum ileum septies distinctis in locis ingressum partis superioris in inferiorem ipsis plane lensibus praebuit conspicendum,

B

submini-

subministrarunt. Quod si vero pars intestini superior in inferiorem, ipso sensuum testimonio id confirmante, ingredi potest, quid impedit, quo minus etiam motuum spasmatico-epilepticorum vehementia pars inferior in superiore intrudi, siveque *iliaca passio* excitari valeat?

### §. VII.

Si de modo sciendi iterum difficultas quaedam moveatur, removere illam & simili quodam illustrare solent ejusdem adsertores; Sicuti enim in digitis chirothecae partem superiorem in inferiorem, vel hanc in illam pro lubitu immittere possumus: Ita facilissimum est, sano conceptu adsequi, partem intestini spasmatico-constrictam in proximam, flatu paulisper diffinitem insinuare sese posse, sive pars superior in inferiorem, sive contra ingrediatur.

### §. VIII.

Ast progrediamur ad alterum modum, quo per contorsionem seu convolutionem intestinorum *ileum* excitari posse, imo, teste autopsia, solere, non pauci Practicorum firmissime sibi persuadent. *Bonetus in sepolcro* suo Libr. III. Sect. XIV. Obs. XV. de virgine 20. annorum comminorat, & sectione ipsa oculis vindendum exhibit, quod *ileon* tribus distinctis in locis involutum fuerit deprehensum, singulis *nodis* seu involutionibus digiti longitudinem aequantibus, aliquatenus intercapidine a sese mutuo distantibus: Quia *involutione* intestini cavitas tantopere coangustata fuit, ut liquor siphone injectus non nisi guttatin pertransire potuerit.

Potuerit. Eandem ilei lethalis originem, ubi *coecum* admodum contractum & in *ileum* insinuatum, ut ex hoc in illud nihil descendere valuerit, laudatus *Bonetus* loco proxime allegato Obs. XVI. adnotavit, idemque de viro, qui ex pilularum aloeticarum, in primis Francofurtensium, abusu in hoc malum inciderat, memoriae reliquit, in cuius corpore, sectione instituta, intestina gangraenosa & quibusdam in locis exesa fuerunt deprehensa, seu Anat. Pract. L. III. Sect. XXIV. Obs. XIII. legi licet. Cui observatio de infante recens nato, qui meconium, lac & pultes continuos evomuit, jungi potest. Imo de *intestino recto*, quod in pueru *contorum* sive *convolutum* est deprehensum, §. III. idem notavimus.

## §. IX.

Cudant jam difficultates, quibus volupe est, imo ad ravim usque disputatione, in tenuibus ob mesenterium & in crassis ob mesocolon arctissime adnexum impossibile esse, ut nodi instar vel chordae contorqueantur intestina; Nobis sufficere potest, istam intestinorum *convolutionem* sectionibus cadaverum *ileo* denatorum demonstrari ad sensum posse, sicuti ex observationibus modo allegatis clare patet. Et quid proinde juvant rationes *a priori*, ubicunque talibus in casibus ocularis inspectio plenisimam nobis fidem facit? Ut vehementer mirer, celeberrimum *Ruyfbum* ex eorum numero fuisse, qui hunc excitandi *ilei* modum impossibile esse judicarunt, qua tamen in assertione *Helmontium*, *Ettmüllerum* aliasque habuit consentientes.

## B 2

## §. X.

Praeter modos, proximis in thesibus explicatos,  
*tertius* allegari meretur, qui, uti prioribus frequentior  
est, ita nostram quoque tractationem proprius resipicit  
in utroque non tantum sexu, sed & in duabus famo-  
sioribus herniarum, *umbilicalis* nempe atque *scrotalis*  
speciebus obseruabilis, licet *bubonocelen* non penitus  
inde excludendam esse, ipsa praxis nuper prime adhuc me  
aliosq; edocuerit. Foemina nempe mediae aetatis, sana  
caeteroquin ac vegeta, ad cachinnandum undecunque  
concitata, medios inter cachinnos sinitro in inguine  
exquisitissimos persentisicit dolores, quorum lenien-  
dorum gratia varia topica admota fuere, quae, cum  
in irritum reciderent omnia, imo potius levaminis  
sperati loco, vomitus biliosi tandemq; stercorei cum  
ingentibus praecordiorum anxietatibus succederent,  
meum quoque expetitur consilium auxiliumque.  
Accedens ad patientem, omni prius attentione lo-  
cum dolentem examino, siveque deprehendo, exigui-  
um tuberculum sinistro in inguine, id quod nucem  
juglandem vix aequabat, protuberasse, id quod sine  
hesitatione portiunculam intestini ilei, motu abdo-  
minis constrictorio, inter cachinnandum vi fede sua  
nativa pulsii, esse pronuncio. Omni quidem studio  
tentata est ejusdem in locum suum naturalem repo-  
sitio, irrito tamen & frustraneo successu; Imo poti-  
us, continuante stercorum vomitu, in pejus ruere  
coepit morbus, livorem contraxit intestinulum siveque  
misellae hujus fata acceleravit. Quadriennio ante  
idem in foemina nobili, quae in primo statim partu  
ejusque

Ejusque laboribus circa umbilicum exiguum quod-dam tuberculum, herniae umbilicalis rudimentum persenserat, expertus sum. Haec, mansuetioris & tranquillioris caeteroquin animi, ad iracundiam gravem concitata, portionem intestini priori longe maiorem & figura sua sarcininis frustulum haud inepte referentem, subito & ingenti cum dolore profiliare animadvertisit. Medici in consilium adhibiti non fomentis modo anodynisi atrocitatem dolorum mitigare, sed & intestinulum prolapsum suam in sedem reponere fatigaverunt, verum conatus omnes irriti prorsus & inanes fuere: Livorem enim contraxit pars intestini elapsa, sive paucos post dies ad plures abiit. Ut alias utriusque sexus personas, quae ex hernia incarcerata in *ileum* lethalem inciderunt, hac vice silentio praetermittam.

### §. XI.

Si de modo *fiendi* quicquam hoc in casu suspicari mihi licet, credo, semicirculi seu digitii intorti formam repraesentare intestinulum, e fede sua divulsum, quod, sive flatibus pertinaciter incarceratis sive faecibus alvinis induratis sit repletum, certum est, intestini portionem hoc modo iuclusam una cum vasis sanguineis tam arteriosis quam venosis eam percurrentibus admodum coarctari, sanguinem ipsum ad stagnationem imo stasin disponi, inflammationem parere, putrefactare, sive in gangraenam atque sphacelum tandem desinere. Quae ratio dudum me movit, cur *passionem iliacam* febrium inflammatoria-

B 3

rum

rum seriei haec temes adnumeraverim, sicuti ex di-  
cendis infra clarius patebit.

### §. XII.

Nos interim, indicata parte morbi affecta, the-  
mati proposito omni ex parte satis facturi, ad circum-  
stantias illei historicas deproperamus. Inter illas non  
*frequentia* vel *raritate*; Ubi quidem persuasissimi fu-  
mus, *ileum*, ex mutua in primis intestini *introfusceptio-*  
*ne* vel etiam ex *contorsione* ejusdem exortum, ceteris  
paribus, esse paullo *infrequentiorem*: Toto enim se-  
ptendecim annorum spatio, quo hic commoratus  
sum, sex tantum *iliaci*, & illi quidem omnes *berniosi*, sepe  
mihi curandos obtulerunt: Nec dubito, quin alii  
artis Praetici idem mecum fuerint experti. At vero,  
si de *iliacis*, quos hernia incarcerated in hoc malum  
praecipitavit, sermo fuerit, ingenue fatendum mihi  
est, paullo *frequentiorem* esse dirissimum hunc & ut-  
plurimum lethalem affectum.

### §. XIII.

*Aetatis* si habenda fuerit ratio, nullus quidem dubi-  
to, quin quaevis aetatis periodus, datis causis occasio-  
nalibus, ad morbum producendum aptis, *ileo* obnoxia-  
bit: *Infantilem* tamen prae *adultiori* frequentius eodem  
laborare, similiter dubii omnis expers est. Qui anno clau-  
so nascuntur infantes, ut plurimum *iliaci* moriuntur, nisi  
sektione perite instituta, meconio tempestive procure-  
tur exitus. Cumq; praeterea epilepsiae intestinali tam  
ex

ex meconii justo diuturniore retentione, quam etiam  
bilis in statum aeruginosum conversione natisque  
inde intestinorum convulsionibus haec aetas sit ex-  
posita, imo ex continuis ejulatibus permulti illorum  
herniosi reddantur, facile adparet, variis hisce respe-  
ctibus *iliacam passionem* huic tenellae praec adultiori  
aetate magis esse fatalem.

## §. XIV.

Diversitatem *sexus* si attendere etiam placeat,  
certum est, *muliebrem* pira *virili* frequentius *ileo* labo-  
rare; Est enim sequior hic *sexus* non modo frequen-  
tioribus ac diuturnioribus alijs obstructionibus obno-  
xius, sed & ex partus difficultate, difficiili menstruo-  
rum vel lochiorum successu vel aliis eorundem ano-  
maliis in statum *iliacum* praecipitatur. Id quod tamen  
iterum ea ratione interpretari haud licet, quasi pro-  
pterea masculinus *sexus* ab horrendo hoc malo peni-  
tus vivat immunis; Imo potius experientia nos do-  
cet, quod non pauci illius *sexus*, potissimum herniosi,  
*iliacae passioni* reddantur obnoxii.

## §. XV.

Et quamvis nullum *temperamentum* praec *altero*  
singulare *immunitatis* privilegium praetendere possit;  
A posteriori tamen discimus, homines cholericos,  
ad excandescientiam & consequenter ad *vomitum bilio-*  
*sum, diarrhoeam biliosam, colicam spasmodicam & haem-*  
*morrhoidalem* similesque adfectus pronos, frequentius  
aliis *ileo* laborare: Phlegmatici vero, cuin ad flatuum  
genera-

generationem' admodum propendeant, atque adeo *flatulentiam & colicam flatulentiam* frequentur admodum incurant, subinde etiam dirissimo hoc malo corripiuntur.

### §. XVI.

Varium *anni tempus*, cuius alterum prae altero ad hunc affectum magis disponit, medico quoque attendendum esse, ipse *Hippocrates* Sect. III. Aph. 22. disertis verbis nos docet, dum volvulos *autumnalibus* morbis adnumerare non dubitat, ideo procul dubio, quod hoc in primis tempore fructuum horraeorum, prunorum, mespilorum, imo ipsius musti abusui homines indulgent, aliisque de causis.

### §. XVII.

In primis vero *herniosi*, quacunque demum herniae specie, sive *umbilicali*, sive *inguinali* sive *scrotali* laborent, eamque vel negligentius tractent vel subligaculis aptis suo in situ intestina sede sua dimota non retineant, ideo haud raro cum vitae discriminé subjiciuntur. Si tamen & temperanter vivant & à flatulentis tam esculentis quam potulentis provide abstinent & de aptis subligaculis tempestive fibi prospiciant, sexagesimum, septuagesimum imo octogesimum annum, statu hoc hernioso nihil obstante, feliciter haud paucos attigisse, exempla numerosa quotidie obvia confirmant.

### §. XVIII.

Eadem fata premunt *haemorrhoidarios*, in quibus vel *haemorrhoides* exitum tantum moliuntur, vel actuali quidem

quidem exitu potitae sed iterum quacunque de causa  
supressae fuerunt: Idemque de mulierculis vel actuali  
mensium suppressione vel insigni quadam eorundem  
anomalia laborantibus testimonium perhibent Pra-  
cticorum observationes; Id quod etiam de lochiis  
puerarum corundemque subitanea suppressione  
vel saltem insigniore quadam illorum anomalia intelli-  
gendum est.

## §. XIX.

Ipsum vitae genus officiique rationem ad statum  
*berniacum* & subinde *iliacum* plus vel minus disponere,  
*concionatores*, *cantores* & *tubicines* suis exemplis edocere  
nos possunt. Dum enim illi sermones suos alta vo-  
ce, & quidem in situ corporis erecto atque perpen-  
diculari, ex sugestu declamant, *hi* vero aërem in pe-  
ctore conclusum diu retinere tandemque cum vi eli-  
dere coguntur, diaphragma versus inferiora violenter  
depressum, ipsa quoque abdominis viscera & inprimis  
*ileon*, annulo processus peritonei incumbens, deorsum  
versus cum violentia deprimit, qui proinde dilata-  
tus portiunculam hujus intestini transmittendo pri-  
mum *bubonocelen*, tandem vero in virili sexu *scrotalem*  
*berniacum*, in foemellis vero *femoralem* gignit, cuius hor-  
renda specie, ad genua propemodum adpropinquan-  
te, Abbatissam quandam laborasse, ante complures  
jam annos expertus sum.

## §. XX.

Si tandem *homines* cum *brutis* comparare mihi  
liceat, dispalescat facile, illos praे bis frequentius  
*berniacos*, & ex hac occasione *iliacos* reddi. Non me-  
mini

C

mini, me ullo in scriptore fide digno vel unicum saltem animalis iliaci facti exemplum legisse, nisi forte Ephemerides N.C. excipere placeat. In his quippe Dec. II. Ann. VII. p. 64. de gallina *iliaca*, & de cato Zibetho eundem casum aliquando observatum esse memoratur: Cadaverculo enim aperto, intestinum *jejunum* in *ileum* subsedisse (an spasmorum vehementia introcep-  
tum, quod probabilius mihi videtur) deprehensum est. Conati quidem sunt observatores mutuum hunc intestinorum ingressum flatu follis, per intestinum rectum immisso, expedire, sed ob fortē *valvulae Baubinianae* renisum frustra id tentarunt; Id quod tamen supra dictam illam valvulam sat feliciter successit. Ut proinde ortum *ilei* per modum *mutuae receptionis*, quam *introspectionem* nonnulli adpellare amant, in brutis etiam confirmatum videamus, quem superius jam in hominibus abunde probatum confirmatumque exhibuimus.

### §. XXI.

Praeter circumstantias *aetatis, sexus, temperamenti, vitae generis* &c. quas hucusque ordine discussimus, ad historiam hujus affectus ulterius spectat, fideleriter recensuisse illas quoque circumstantias, quibus hoc malum *iliacum* gliscit, donec pleno tandem impetu erumpat. Communiter praecedere solet alvus solito durior atque pertinacior, aliquot dies continuos tali in statu perdurans, donec penitus tandem contumescipitur, sive & flatibus & faccibus per naturalem & ordinariam viam exitus denegetur: Id quod dudum animadvertisit *Hippocrates*, dum libro de *affectionibus* inquit:

quit: *Cum volvulus corripuerit, venter durus redditur, nibilque infra dimittit.* Complicantur deinde murmur atque rugitus ventris inferioris, qui intestinalem fistulam hic dilatantes, alibi constringentes, acutissimorum dolorum lancinatoriorum fabri atque architecti evadunt. Accedunt subinde cardialgiae anxietates cum ciborum fastidio, siti, permolestis vigilii & profusis saepe sudoribus, vires admodum prostercentibus; Concurrunt porro permolestae ac per frequentes eructationes, patientem tamen nihil prorsus sublevantes, imo potius, si libero exitu non potiantur, praecordiorum auxietates mirabiliter augentes, donec tandem vomitu, parvis intervallis redeunte excrucientur, quo primum pituitosa, deinde biliosa corrumpita flavescentia ac viridescentia recrementa tandemque ipsa stercora alvina cum sudoribus frigidis, lipothymia ac syncope, singulu aliisque horrendis symptomatibus rejiciantur atque adeo pleno sui impetu volvulus sese prodat.

## §. XXII.

Quibus ita praemissis, haud difficile erit, plenam horrendi hujus & permultis funesti affectus definitionem suppeditare. Est nempe *ileus* nihil aliud, quam *febris inflammatoria*, qua natura stagnationem vel statim sanguinis in intestino *ileo* vel *jejuno* sub *statu bernioso* discutere atque resolvere conatur, cum gravissimis symptomatibus, pertinaci nempe alvi adstrictione, permolestis eructationibus, abdominis inflatione, murmure atque rugitu, siti, vigilii & inquietis corporis jejunationibus, anxietatibus cardialgicis,

vomitu horrendo variorum corruptorum humorum ipsarumque plane faecum alvinarum, doloribus acutissimis, lipothymia, syncope, sudoribus frigidis, imo ipsis quandoque deliriis aliisque gravissimis symptomatibus stipata.

### §. XXIII.

Merentur vero singula hujus definitionis verba eo attentius pensitari, quo plures reperiuntur pathologi, qui in vero saevissimi hujus morbi genere determinando toto, quod ajunt, coelo errant. Sunt namque, qui *iliacam passionem* nihil aliud esse volunt, quam *dolorum acerbissimum* intestinorum, potissimum *ilei*, cum vehementissimis symptomatibus coniunctum. Alii speciem *colicae* acutissimae *volvulum* esse contendunt. Alii in *convulsione* intestinorum, *ilei* praecipue atque *coeci* formalem ejus rationem quaerunt. Alii plane intestinorum *atoniam* accusant &c.

### §. XXIV.

Verum hi omnes, & quotquot sunt alii, a recto mihi scopo aberrare videntur. Per *dolores* qui definunt *passionem iliacam*, symptoma pro morbo ipso habent. Exquisitissimi sensus dolores esse coniunctos, flebili voce confitentur *iliaci* omnes; Sed hitemen essentiam morbi non constituant. Nec acutum tangunt, qui *colicae*, licet acutissimae speciem esse putant; Quia, licet *colica*, testibus Practicorum observationibus, in *ileum* subinde transeat, sunt ramenta manentque duo hi affectus inter se mutuo distincti. A recto etiam trahite aberrant, qui in *convulsione ilei* atque *coeci* eam reponunt; Quia *epilepsiam* *intestinalem*, qua

qua permultos infantes misere periisse, ipsem in praxi aliquoties observavi, cum *passione iliaca* apertissime confundunt. Convelli possunt intestina, nec tamen motus eorundem peristalticus statim invertitur, nec faeces alvinae ideo per os rejiciuntur. Illam tamen in *hanc* converti subinde posse, praefracte non negaverim. Qui denique per *atoniam* intestinorum definiverunt *ileum*, ad statum sphacelosum eorundem, qualis post mortem, instituta talium corporum sectione, sistere se se feret, respexerunt: Verum hos effectum cum *cauffa* confudisse, in aprico est.

## §. XXV.

Nos autem pro *febre*, & quidem *inflammatoria* adfectum nostrae tractationis habemus. Neque vero simpliciter tantum id adferimus, sed idoneis quoque argumentis probamus. *Febris* adesse, consentiunt omnes, in eo tantum nobis adversi, quod illi *symptomatis* tantum rationem habere existiment, nos vero pro instrumento dissolvendae fistulas sanguineas habemus & agnoscamus. Universum negotium, ut conceptui facilius sistatur, hoc modo adumbramus: Quandocunque contingit, ut in hernia v. g. *umbilicali* intestinum *jejunum*, vel in *inguinali* & *scrotali* ileum per dilatatum peritoneum (rarius enim actualis ejus ruptura peccat) transitum ex parte sibi paret & ita conclusum incarceratumque aliquandiu haereat, non debet non contingere, ut vasa sanguinea tam arteriosâ quam venosa, partem intestini clapsam transeuntia admodum coarctentur atque constringantur: Quo ipso vero ejusdem regressus efficaciter impeditur,

C 3

sicque

ficque sanguis stagnatione vel stasi detentus in corruptionem putredinosam certissime rueret, nisi, febre accedente, dissolveretur vitalique suo motui restiteretur. At vero cum non omnibus ita felicibus esse contingat, ut scopo hoc suo potiatur natura: Hinc *inflammatio* transit in *gangraenam* & haec in *sphacelum*; Id quod ocularis insuper inspectio evidenter confirmat. Sic *Willisius* in omnibus fere *ileo* denatis, intestini cuiusdam inflammationem & hanc fecutam gangraenam atque sphacelum morbi mortisque causam esse, haud inconcavme judicavit. *Härderus* in <sup>a</sup> *pario* suo permultis probat exemplis, quod plerumque in *iliacis* intestina gangraena ac sphacelo corrupta fuerint deprehensa. Idemque *Ephem.* N. C. Dec. I. Anno IX. Obs. XCIII. p. 242 & 243, confirmant exemplo viri 60, annorum, qui herniam, qua laboravit, vivus occultaverat, in quo post fata, sectione instituta, prolapsa intestini ilei pars tam pertinaciter in cavitate, quam sibi sinistro in inguine paraverat, conclusa & constricta haerebat, ut sine dilacerationis metu vix extrahi inde se se pateretur: Praeterea vero tota sphacelosa ac livore horrida pars illa conspecta est, reliquo intestinali ductu flatibus usque adeo distento, ut *colon* amplitudine superaret. Cui observationi jungimus aliam, quae Dec. II. Anno III. Obs. CXCIII. legitur, ubi in foemina 40. circiter annorum intestina tenuia inflammata ac sphacelo correpta sunt conspecta: Quo in casu illud insuper prorsus singulare fuit animadversum, quod omentum in hypogastrio prope inguen dextrum complicatum simul cum

cum portione intestini ilei in processum peritonei dextrum delapsum admodum conspicuum ibidem tumorem excitaverit, qui tunc temporis, uti alias facilitas negotio herniosa facere potuit, reponi vel reprimi neutiquam sese passus est.

## §. XXVI.

Symptomatum ileo complicatorum ratio haud difficulter reddi potest. Et primum quidem, cum durioris plerumque alvi sint *iliaci*, & contumax ejus adstrictio vel morbum praecedere vel comitari solet: Non mirari admodum debemus, nec flatibus nec faecibus induratis facilem patere exitum, quae proinde p. n. in corpore retentae non murmur tantum inconditum & borborygmos, qui herniosis praeterea aliis admodum sunt familiares, gignunt, sed & intestinorum, magno excrementorum pondere gravatorum motus naturalis, *peristalticus* dictus, invertitur idque tanta saepius cum vi, ut, observationibus practicorum id testantibus, clysmata non modo ano injecta sed & ipsa suppositoria, nisi lumbis filo circumducta & alligata fuerint, per os superius rejecta fuerint, valvula *Baubimiana* id omni sua vi ac resistentia impedire non valente. Unde tanto minus mirari debemus, quod per eandem viam primum varia ventriculi contenta, deinde biliosi corrupti humores tandemque ipsa stercore vomitu rejiciantur: Quae omnia cardinalgicis anxietatibus, sudoribus frigidis, lipothymicis atque syncopticis pathematibus imo deliriis comitata incedere debere, quivis facile largietur. Atrocitas in primis *dolorum* tanta est, ut nulli alii dolorum speciei

ciei facile comparari queat, ob summam sensibilitatem, qua intestina potissimum tenuia gaudent. Tumor *volvulo* conjunctus interdum totum abdomen, in herniosis vero ut plurimum privatam tantum ejus partem obsessam tenet. Ita ante triennium in foemina quadam, circa umbilicum tumorem quendam, pollicem longitudine aequantem & farciminis formam referentem conspeximus, qui primis quatuor diebus intolerabiles peperit cruciatus, tandem vero livorem contraxit doloris omnis expertem, manifestissimo sphaceli jam praesentis & mortis paulo post fecuturae indicio, eventu funesto praedictionis certitudinem satis confirmante. Similem tumorem in alia matrona, & quidem dextro in ingvine observavimus, qui primum cruciatibus vix tolerandis sepe prodebat, non tamen diu durantibus, sed subito, cum interitu aegrae, conticescentibus. *Singultus*, quo *iliaci* corripuntur, quandoque tam violentus est, ut in distans exaudiri queat. Sub tanto vero symptomatum numero atque vehementia inquietis corporis jectigatio- nibus ac molestis pervigilii excruciarri viriumque stuarum dispendium pati debere aegrum *iliacum*, quivis facile intelligit.

### §. XXVII.

Eadem evidenter dispalescit, scrupulosiori indagatione opus vix esse, ad *ileum* non modo per se cognoscendum, sed & ab aliis affectibus, cum quibus cognitionem quandam alere videtur, dignoscendum. Sola *colica passio* ex omnibus infimi ventris pathemataibus dolorificis est, quae mutuae illius cum *ileo con-*  
*fusioni*

fusioni ansam dare posset, in primis si spasmotico-convul-  
 sione indolis illa fuerit & ex hernia intestinali ortum tra-  
 xerit: Verum enim vero, quam vehemens etiam *colica*  
 illa *convulsiva* fuerit, attamen cum refectione faecum al-  
 vinarum stipata non est, quod quippe signum *ilei* soli  
 essentiale est & pathognomonicum ejusdem recte audit.  
 Deinde magna quoque differentia est inter utramque hanc  
 passionem intuitu *partis affectae*; quae in *iliaca* passione ut  
 plurimum est *ileon* vel *jejenum*, in *colica* vero *colon* vel quod-  
 dam ex crassis. Porro dolores in *ileo* longe sunt exqui-  
 sitiores, quam in *colica*, imo & propter conjunctam in-  
 testinorum tenuium inflammationem *ileus* longe majori  
 vitae periculo est stipatus, quam *colica*, cum inflamma-  
 tio ista rarissime salutariter cedat, imo potius in gangrae-  
 nam & sphacelum transire soleat: Denique in *iliaca* passione  
 revomuntur faeces alvinae, in *colica* non item, nisi forte  
 haec in *illam* transferit, id quod subinde fieri in ea *colicæ*  
*passionis* specie, quam superius *spasmotico-convulsam* di-  
 ximus; in praxi clinica edocemur. Id quod tamen ne-  
 mini artis perito ansam suppeditare debet, utrumque  
 adfectum, sua natura differentem, inter se mutuo con-  
 fundendi: Cum vomitus sterorum sit & maneat essen-  
 tiale & pathognomonicum signum solius *passionis iliaceæ*,  
 non autem *colicæ*, nisi, quod modo innuimus, tanta sae-  
 vitia & rabie adoriatur patientem *colica* *adfectum*, ut in  
*ileum* actu transiverit. Quae res *Langium*, celeberrimum  
 quondam *Lipsiensium* Professorem commovisse videtur, ut  
 axiomatis vim habere existimaret, & de cuius rei verita-  
 te non nisi iniquus & valde imperitus medicus dubitaret,  
*ileum* nempe cum *colica* quandoque concurrere: Quae  
 eadem quoque veterum quorundam medicorum senten-  
 tia fuisse videtur; Ex *Aretaeo* enim (Lib. II. cap. 6.) ad-  
 discere licet, *iles* & *colicæ* commune olim nomen exti-  
 sisse: Aliis tamen rectius nobiscum sentientibus, inter  
 utrumque adfectum permultum intercedere discriminis,  
 sicut paulo, ante differentias istas adduximus.

Quamvis autem, ut ex dictis affatim patet, discrimen inter utramque hanc passionem, *iliacam* nempe aquae cōlicam, admodum sit manifestum; Multas tamen causas, saltem antecedentes & occasio[n]ales habent inter se se mutuo communes: Ex rebus namque *non naturalibus*, medicis vulgo ita dictis, cerevisiae nimis recentes ac turbidae, non rite fermentatae, vel mustum, fabae, pisa aliaque leguminosa, admodum quippe flatulentia, nec non ira & excandescētia, quam effusio & corruptio bilis consequitur, utramque passionem, *cōlicam* aequē atque *iliacam* gignunt. Spectant huc faeces alvinae diutius retentae & propter moram, quam necunt, exfficatae & induratae, nec non flatus pertinaciter conclusi & quasi incarcerati; Status quoque herniosus utriuscomunis est, & mirandum profecto est, quod, cum in inter homines utriusque sexus usque adeo sit familiaris, non frequenter tamen illo laborent herniosi, cum intestinum ileon utrinque annulo processus peritonei, insitu potissimum hominis erecto atque perpendiculari, incumbat, atque adeo sub magnorum ponderum elevatio[n]e, tussi effera atque vehementi, sternutatione, caphinnis, quale exemplum superius adlatum est, saltatione, equitatione, vectura vel quacunque alia vehementib[us], in primis succussoria commotione fieri utique possit, imo haud raro soleat, ut circuli illius vel foraminis ovalis, ceu a nonnullis vocatur, vim ac renitiam superando, transitum tandem sibi pareret sicque herniam gignat, primum quidem inguinalem, sed quae, nisi subligaculo, suum intra ambitum contineatur certissime tandem in *scrotalem* convertitur: Ubi eximium tamen argumentum sese offert providentiam divinam & agnoscendi & collaudandi, dum partium harum structuram efformavit & quasi communivit, ut, caussis istis violentis non obstantibus, tam facile tamen herniae non conse-

consequantur. Malo autem conformatiōnē hanc plane singularem partium harum Muralti potius, quam meis verbis delineare, uti Dec. II. Ephem. N. C. Obs CXVIII. p. 301. leguntur: *Notabile est*, inquit Joh. de Muralto, *mūsculorum abdominis & pectoris foramina sibi invicem ita impedita esse*, ut *foramen primi paris mūsculorum locum infimum tenet*, *secundi paris foramen altius in inguine situm sit*, *transversē denique mūsculi perforentur supra oblique descendentes*, adeoque *erectus homo non continuo molestatur, nisi vis magna inserratur, qua via patescat.*

## §. XXIX.

Praeter has tamen causas, Practici artis alias adhuc commemorant, à quibus *ileus interdum fuit excitatus*. Sic modo laudatus *Johannes de Muralto ileum à vermis inductum vidi puerperae*, quae dupli hernia, altera umbilicali ab *infantia*, altera vero *inguinali a partu difficulti laboravit*, sed quae, DEI gratia, datis anthelmineticis & multorum vermium excretione inde facta, curata pristinaeque sanitati restituta est. Neque minus praegressi alii adfectus causae passionis illiacae evadunt. Ita *coecam spasmatico-convulsivam* quandoque in *ileum transire*, jam antea a nobis est animadversum. Ab *haemorrhoidibus aetu fluentibus*, sed subito cohibitis atque suppressis ortum fuisse *ileum*, refert Ballonius; *Quod idem malum induxisse lochia largiter quidem fluentia, sed intempestive & simultaneae suppressa, ab Boneto adnotatum legitur*. Si diarrhoeam vel dysenteriam, id quod non minus Practici observarunt, sequatur *ileus*, nihil certius est, quam excretiones tales adstringentibus subito nimis cohibitas, ac tam retentioni faecum alvinarum quam ipsorum quoque flatuum incarcerationi occasionem datam fuisse, ut ipsum plane intestinum cum vi ruptum fuerit, sicuti exemplum tale occurrit apud Fernelium. Ipse Hippocrates Sect. VI. aph. 44, auctor est: *A stranguria supervenire volvulum: sed eodem observante, quibus id contingit, illi septimum intra diem*

dieri moriuntur. Qui plures ilei caussas nosse cupit, Ruysschi  
observationes evolvere atque consulere potest.

## §. XXX.

Qua vero ratione omnes hae caussae intestina adficiant, ut inde consequatur illeus, intellectu illis non admodum difficile erit, quibus ex physiologicis innoverit vera motus peristaltici naturalis intestinorum ratio, cuius nempe jugi atque placido, nobis tamen crasso sensu non aequa perceptibili successu, intestinales fibrae a parte superiori versus inferiorem jugiter quidem, attamen modeste & quasi tacite ita contrahuntur & coarctantur, ut non modo chylus, ex alimentis tam esculentis quam potulentis noviter elaboratus vasculorum laterorum oscula ingredi, sed & partes eorum grossiores, in faeces abiturae inde fecerni, sensimque per universum intestinalem canalem promoveri queant, donec tandem penitus e corpore proscribantur atque eliminentur. Quando vero quacunque de caussa, quarum complures antea enumeravimus, contingit, ut motus ille peristalticus, quem vermicularem alii adpellant, invertatur, ut a parte inferna versus supernam vergat, tunc non modo contenta ipsorum intestinorum sed & ipsius plane ventriculi, ne ipsis quidem stercoribus exceptis, tanta cum violentia & vix tolerabilibus ventris inferioris tormentibus per guttum superius eliduntur, ut Diemerbroeckius superiorum ano immissum in adolescenti iliaco vomitu rejectum & in nobili quodam clysterem intra semihorulae spatium per os rediisse observaverit. Quas easdem observationes etiam Thonerus Lib. III. Qbl. 8. & Semmertus praeceps Lib. III p. I. S. II. Cap. I. nec non Ermillerus Oper. Pr. pag. 133. suppeditarunt; Idemque Mischell. N. C. Dec. I. Ann. III. pag. 330. & morte quidem paullo post infecuta, binis exemplis probatum ivere.

## §. XXXI.

Quae vero hucusque de motus peristaltici seu vermicularis inversi vi & efficacia differuimus, ita comparata sunt, ut

ut simul veras indicationes curativas subministrent, quae, si in praxi attentius considerentur, curationem periculosi hujus affectus faciliorem felicioremque reddent. Parum igitur vel nihil omni illa ingeniosa theoria, quam crepant Pathologiae saliae adfertores, hic lucrabuntur; Pungant salia alcalina instar acicularum, vel scindant, findant ac diffundant salia acida cultellorum instar, stimulentque atq; irritent fibras intestinales; Nihil inde motui intestinorum peristaltico metuendum est; qui quippe neutquam inde invertetur, sed jugi atque constanti tenore procedet. Multo vero minus audiendi sunt, qui spiritus sylvestres irritatos & in furibundam quasi excandescientiam congettatos hic comminiscuntur. Videant illi prius, qua ratione mites atque benignos, quos oeconomiae animalis in statu naturali & ordinario directores constituunt, sufficienter tueantur, vel ab exilio, in quo adhuc congregunt, illos revocent; Tunc tempus erit cogitandi de mediis, quibus sylvestres illi & furore quasi maniaco perciti curari, complacari & in rationis quasi gyrum reduci queant. Metuo denique, ne, si qui forte hodie reperiuntur, qui cum Galeno facultatem intestinorum expultricem depravatam criminarentur, sibilo excipientur. Felicia tempora! in quibus haec opinionum monstra exularunt. Felices medicorum scholae, in quibus non amplius exaudiuntur!

## §. XXXII.

Ordine progreendiendum nunc esset ad signorum diagnosticorum, quibus passio itaca cognoscitur, & à colica aliquaque affectibus discriminatur, recensionem, nisi ex historia symptomatum paullo superius tradita satis superque patenter. Ne tamen quicquam jure hac in parte a nobis desiderari queat, ortum, progressum finemque mali ut plurimum exitiale paucis adhuc delineabimus. Quibus a quacunque caussarum antea allegatarum vel intestinum ileon vel jejunum contorquetur, vel pars superior in inferiorem vel contra insinuatur, vel qui hernia incarcerateda laborant, vel quibus contumaces, diurnae

& quasi inexorabiles obtigerunt alvi obstructiones, ut motus intestinalis ipsiusque ventriculi peristalticus invertatur sursumque vergat, illi abominandis primum eructationibus cum anxietatibus praecordiorum corripuntur; Succedunt deinde cum exquisitissimis ventriterminibus, infra umbilicum potissimum fese exerentibus vomitus materiae viscidae ac pituitosae, deinde biliosae ac subinde aeruginosae tandemq; stercoreae, quam tamen faecum alvinarum rejectionem plerumque lipothymiae, syncope, sudores frigidi, tremor manuum, finguultus, deliria, inquietae corporis jactigiones, pervigilia aliaque horrenda symptomata comitantur.

## §. XXXIII.

Atque summa symptomatum horum atrocitas est quoque causa, quae extremo vitae periculo *iliacos* exponit. Errant autem mea sententia, qui omnem *ileum* ex quacunque causa enatum sua natura lethalem & incurabilem esse pronunciant. Ipse ego ante aliquot menses honestae adstiti foeminae, quae ex duplice hernia, altera umbilicali, altera inguinali in *ileum* inciderat, quaeque, licet jam faeces vomeret, tremore dextrae manus correpta esset, subsultatorii in tendinibus motus obliterarentur, aliquoties etiam lipothymias, quin syncopen cum sudoribus frigidis experta esset, paucorum tamen remediorum usu in integrum fuit restituta, idemque inviro honesto hujus civitatis, qui in lignis sindendis occupatus subito herniam scrotalem sibi consicerat, expetus sum qui ante paucos adhuc dies eorundem remedium, inferius fideliter communicandorum, usu prisinae sanitati redditus est. Aliud sanati *ilei* exemplum adfert medendique simul methodum describit *Claudius M. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obs. CXLVIII.* Conferat, cui volupe est, *Junckenianum Med. Pr. p. 63.* nec non *Bonorum in Sepulchreto, imo & M. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obs. CXXVI.* in qua simile recensetur exemplum foeminae, quae ex partu difficii hernia intestinali, indeque *ileo* cor-upta,

repta, faeces vomuit & nihilominus dexterime curata est. Itaque altera passionis iliaca species prae altera facilioris vel difficilioris est curationis, prout sese habent cauillae, ex quibus oritur. Quicunque enim ex *mutua* intestinorum introrseptione exurgit *ileus*, inferiore intestini parte in superioriem subingrediente, curabilis est: Qui vero ex superioris in inferiorem subingressu enascitur, medelam nullam admittit. Vomitus in *ileo*, singultus, aut convulsio, aut delirium, *Hippocratis* testimonio Sect. VII. aph. 10. mala quidem sunt indicia; Si tamen herniam incarceratam seu caussam agnoscat, vomitus stercorum non adeo conlamatæ spei tales *iliacos* esse existimat *Ermüllerus* aliisque Practicorum cum ipso, in primis si vomitu tali deteriore in statum non ruant aegrotantes: Hernia enim tempestive restituta, ad pristinam valitudinem revertuntur. Subita dolorum acutissimorum remissio, potissimum sine causa manifesta contingens, inflammationem in gangraenam, & hanc in sphacelum transiisse denotat. Anhelitus foetidus, sudores frigidi, extremerum frigus, lipothymia, syncope, cordis palpitatione &c. signa upplurimum lethalia sunt in *iliacis*. *Nemestrinus* auctor est, se *passionem iliacam* gravissimam (attamen sine vomitu stercoreo, quae proinde verus *ileus* nondum fuit) per diarrhoeam purulentam & cruentam, plures dies continuantem in foeminis, cum euphoria solutam vidisse. Idem parotidem *passioni iliacaem* cum vomitu stercoreo supervenisse observavit, id quod fortassis cum euphoria contigisset, nisi altera die, etiamsi libertas alvi restituta esset, parotis subito retrocessisset, sique inflammatio & mors secuta esset.

## §. XXXIV.

Hisce tamen omnibus nihil obstantibus, *ileus* est manetque morbus aleae periculique plenissimus; Atque adeo monetur medicus, ut quantocuyus curationi sese accingat: Leges enim vigilantibus scriptae sunt, & quicquid in sanando desperato hoc morbo fieri potest, tempestive

pestive fieri debet: Quia posthaec occasio calva erit.  
 Ne tamen praeter necessitatem prolixiores simus, quam  
 thema nostrum expostulat: Mittemus hac vice *ilei* cura-  
 tionem, prout vel ex *intestinorum convolutione* vel *muno*  
*corundem ingressu* origines suas deducit, eam *solummodo* speciem prosecuturi, quae ex *hernia intestinali* eaque  
 vel *umbilicali* vel *scrotali* suos derivat natales; Et haec se-  
 quentes nobis indicationes curativas subministrat, qua-  
 rum prima est: *Intestinum elapsum quantocynus in sedem suam*  
*nativam reponere.* Altera est: *Contumacem atque rebellem alii*  
*adstrictiōnēm reserare.* Tertia est: *Morū venriculi intestino-*  
*rūmque peristalticum inversum naturali suo ordini & successu re-*  
*stituere.* Quarta est: *Inflammationi & febri inflammatoriae*  
*convenienti modo succurrere.* Ac postrema est: *Irritis & suc-*  
*cessu felici destitutis bisce omnibus, ad celomiam cœu ultimum*  
*desperati ilei remedium configere.*

## §. XXXV.

Repositio intestini elapsi summe quidem necessaria  
 est, sed profecto ingenti difficultate stipata, idque non  
 modo propter fatus pertinacissime inclusos & quasi in-  
 carceratos, sed & ob excrementa alvina indurata & in-  
 globulos quasi, ovillorum instar, conversa. Summa in-  
 primis difficultas in hernia, ob qualemcumque vim an-  
 nulo processus peritonei recenter illatam, orta sese offert:  
 Quia, postquam portio intestini ilei cum violentia tran-  
 situm sibi paravit, annulus iste vehementer constringi-  
 tur, ut *intestinum* flatibus vel faecibus repletum ac di-  
 fficillime restitu sese patiatur: Unde non  
 modo omnis liquidorum descensus intercipitur, sed &  
 vasa sanguinea per portionem intestini ita conclusi, con-  
 stricti atque coarctati disseminata sanguine copiofiori  
 impletur, qui stagnatione vel stasi detentus inflamma-  
 tionem caußatur, cui, nisi tempestive succurratur, gan-  
 graena tandemque sphacelus, atque adeo ipsa mors, ve-  
 stigia legit. Aliter vero cum hernia inveterata compa-  
 ratum est: Annulus enim processus peritonei, per quem  
 intestini

intestini illi portio egreditur, sensim dilatatur, atque a-  
deo, sicuti intestino descensum permittit: Ita faciliorem  
quoque per manum doctam atque exercitatam reposi-  
tionem admittit.

## S. XXXVI.

Sunt vero potissimum fomenta calida, frictiones mo-  
destae ac balnea, quae faciliori intestini elapsi reductioni  
favent. Fomenta facculorum interpaletatorum forma vel  
inguinali vel umbilicali regioni, pro herniarum diversi-  
tate, adplicata, oportet quidem calida esse, quantum nem-  
pe ferre potest aeger, at vero non nimium fervida, ut  
vesicas in cute excident: Quia flatus intercepti, cedere  
neficii, nimium rarefiunt; Unde intestina ab aere rare-  
facto nimium expansa atque dilatata non modo acutis-  
simis adficiuntur doloribus, sed & inflammatio erysipelacea  
in illis gignitur, in pblemonoden haud raro cum pernicie ae-  
grotantium degenerans. Consultius vero est, fomenta talia  
partim emollientibus partim carminativis constare, quo-  
rum illa ex rad. alth. & lili. albor. herb. malv. violar. branc.  
urs. & parietar. nec non fl. melilot. & verbasci, haec vero  
ex sem. carvi & foenic. nec non ex bacc. laur. & Junip.  
parata esse debent. Alii compendiosius totum hoc ne-  
gotium expediri posse existimant, dum ex officina ster-  
coraria vaccina stercora commendant, quibus & flatus  
conclusos dissipari, & faeces induratas exsiccatasque emol-  
liri posse contendunt. Est vero horum fomentorum u-  
sus aliquamdiu continuandus, donec intestini portio  
elapsa flaccescat & collabatur, sivecum cum facilitate qua-  
dam in genuinum suum locum reponi sese patiatur. Ad-  
do, fomenta haec tam laudabilem quandoque effectum  
edere, ut cum strepitu insigni resiliat intestinum, sede  
sua violenter divulsum; Qualem casum M. N. C. Dec. I.  
Ann. IV. & V. p.m. 67. & 68. non sine admiratione legi licet.

## S. XXXVII.

Idem de frictionibus, manu calida institutis sentien-  
dum est, quas omni modo modestas esse decet, quia  
hoc

E

hoc modo eximie quoque flatuum discussioni patrocinantur. Eidem fini obtinendo inserviunt quoque *balna* atque *infessus*, quibus tamen eadem emollientes cum solventibus speciebus incoquendae sunt, ut ad feliciorum repositionem intestinum elapsum hoc artificio disponatur. Proinde rusticum est, ab Hippocrate commendatum remedium, follem nempe fabrialem anno immittere ventumque frigidum in ventrem insufflare. Quemcumque enim de *ilei* specie sibi forment conceptum, & vel intestina inter se mutuo contorta vel in se invicem ingressa esse existimat, nullib[us] tamen rustico tali remedio consultum est aegrotantibus. Par[us] rusticitate laborat atque adeo plerisque exosa est agendi ratio, quia patientes enterocole affectos pedibus suspendere jubent, ridicule sibi persuadentes se intestinum elapsum eodem hoc artificio ad regressum disposituros, quo pueros, pro lapsu intestini recti laborantes, tractasse fertur Hippocrates. Utrumque irrito atque frustraneo successu institutum esse experimentum, Practicorum observationes non finiunt nos dubitare. Sic, ut unius tantum exempli mentionem faciam, Hardern in apario suo seu observationibus anatomico-practicis memorat, tali experimento instituto tumorem quidem inguinalem prompte disparuisse, ut omnia in vado esse, & medici & chirurgi suspicarentur: Sectione tamen post fata patientis ornata deprehenderunt, porionem *ilei* tenacissime imbaessisse & annulo ovali quasi agglutinatam fuisse: Quo proinde in casu cuvis facile est intelligere, inflammationem intestini hic iterum in gangraenam, & hanc in sphacelum immedicabilem fuisse conversam. Quid si vero, ad effectum talem gangrenoso-sphacelosum impediendum servandumque desperationatum talem illacum confugerent Practici ad laudatissimum illud antifebrile, corticem sc. peruvianum, cui praeter alias miraculosas virtutes etiam hanc vindicant ejusdem negyristae, quod Sphacelum avertat? Audax molirentur quidem factum, fateor; Attamen non sine exemplo.

Miro,

Miror, acutos tales & qui Argo oculatores sibi videntur, Practici, uno tali experimento, ab extero medico instituto, occaecari se possis esse, ut coecam fidem adhiberent, cum nihil sit familiarius, quam autocraticos naturae effectus arti tribuere? Licet enim forte non admidum frequenter spontanea talis sphaceli subsistentia sit observata: Factam tamen esse, attentiores Practici non possunt ignorare.

## §. XXXVIII.

Restitutione intestini praedictis mediis impetrata, multum quidem lucratum esse artificem, ingenue fateor. At vero, ne triumphum canat ante victoram, amice suadeo hortorquet Observarunt enim solentes practici, excretiones anotericas, repositione hac non obstante, tanta cum vehementia ac violentia continuasse, ut ipsa quoque clystnata ano immissa per os superius ad ultimum vitae halitum usque fuerint rejecta. Quare hic neutiquam subsistendum, sed eo ante omnia adlaborandum est, ut sua excretionibus catotericis restituatur libertas; Quo facto anotericae illae miraculo citius vel sponte cessabunt vel antispasmodicis facilis cicurari & ad tranquillitatem reduci fese patientur. Ad finem vero tam utilem & ad vitae conservationem tam necessarium obtinendum, animadverto, a plerisque dissuaderi purgantia eorumque loco probata commendari laxantia. Hoc intuitu DD. Wincklerus M. N. C. Ann. VI. Dec. I. Obs. CXIV. non vulgaribus extollit laudibus succum, ex posmis Borsdorffianis & quidem putridis expressum, quem ad integras vj. libras ebibendum dedit mulieri iliace, cuius quippe solius simplicis remedii ope alvus, ante hac ad terram usque septimanam pertinacissime clausa, tandem soluta sicque ex mortis faucibus erupta est aegra. Sic etiam in colica ex hernia, quae, ut notum est, haud raro in iliaceam passionem degenerat, in iisdem Ephem. N. C. Ann. IX. Obs. CXIV. commendatum lego ♀ album crudum cum ♀ Olatu combinatum; Quo remedio vidua senex,

quae refractaria & vix exorabili alvi obstructione, in duodecimum usque diem cum inflatione ventris ac vehementissimis ejus torminibus continuante, laboravit, feliciter curata & in integrum restituta fuit, non negletis tamen, quod observator non sine ratione monet, clysteribus fotibusque emolliendi flatusque dissipandi virtute pollutibus.

## §. XXXIX.

Quamvis autem haec aliaque similia laxandi vigau dentia medicamenta sua laude minime privanda esse existimem: Experientia tamen edoctus, satis comportum habeo, his rebelle atque contumax tale malum rarissime cedere, nisi efficaciora tempestive in usum vocentur remedia, quae praesentiori cum effectu id praestent. Hoc nomine dignis satis laudibus extollere nequeo aurum fulminans, quod paucis granis arcani duplicati & lap. 69. soleo combinare & singulis quadrihoris repetere vel cum massa pilularum polychresta mihi usitata, cui aliquot grana & dulcis addere consuevi, alternative exhibere soleo, quae duo remedia in duobus subjectis, altero masculino, altero foeminino, paucis abhinc septimanis desideratissimam patientibus istis *iliacis* opem praestiterunt, ut in hunc usque diem sani vegetique vivant. Eodem vero tempore clysmata ex emollientibus, quibus sal gemmae additum fuerit, parata, non sunt negligenda: Quorum omnium vi unita, quae dispersa semper fortior est, motus intestinorum ipsiusque ven triculi peristalticus haetenus inversus, nunc naturali suo ordini restituetur faecesque alvinae solita iterum vi excernentur.

## §. XXXX.

Dum vero hisce in remedii, quae laudatissimos in curando *ilea* vitutes exhibuere, bona fide commemorandis versor, silentio praetermittere non possum, quod eundem felicem successum ex sumo nicotiana, anno mediante instrumento sumiuctorio, cuius figuram modumque adhibendi prae ter alios etiam *Deckerus* in exercitationibus suis practicis p. m. 704. & 705, describit, immisso observaverint mecum alii Practici. Laudatus *Deckerus* hunc loco allegato esarravit easum: *Nobilis aeger, quinec enematibus caro mina*.

minatibus, nec senae sectione in pede instituta, nec fomentis ventri impositis,  
nec globulis aureis deglutiitis quicquam iubabatur, omnibus incassum adhibitis,  
solo tabacifumo intra unius horulam flatum, deposita also & redditis flatibus  
restitutus est. Me quod attinet, de hoc remedii genere, in usum practicum  
vocando, nunquam forte cogitasse, nisi in morbo rutiloso, quem vocat Hippo-  
potates, summam eius utilitatem prosperumque successum ipse observasse.  
Quare analogia qualicunque, quae rutilosum inter & diacum intercedit affe-  
ctum, commotus, siccii hujus clysmatis usum & applicationem etiam in illo  
ex hennia experiri nullus dubitavi.

## §. XXXXI.

Esto autem, sola pharmacia scopum desideratum obtineri non posse;  
Propterea tamen spes omnis nondum decollavit, sed in chirurgia praefidium  
unicum querendum & celotomy administranda est, qua quippe iliaci de-  
sperati & jam agonizantes ex fauibus mortis plus simplici vice sunt erexit.  
Etenim felicem hujus operationis successum in vtro hernioso, illo correpto,  
reliquis omnibus frustra & incassum tentatis, observavit Emanuel Koenigius;  
Chirurgus namque in consilium adhibitus circa foramen obale peritonei, per  
quod intestini pars, flatibus distensa vel stercoribus referta, in scrotum prola-  
bitur, sectionem instituit, intestinumque in sedem suam nativam reposuit,  
effectu & successu usque adeo felici, ut clyisma emolliens postea injectum al-  
vinas facies induratas per anum seu naturalem & ordinarium locum eduze-  
rit, siue in vritis patiens, praeter omnem omnium expectationem, fuerit  
conservatus, cui alias certissime moriendum fuisset. Qua vero methodo ipsa  
haec operatio, quae sua caeteroquin difficultate & periculo non defituitur,  
dextre suscipienda & administranda sit, in scholis ad Obs. XCV. Ephem. N.  
C. Ann. III. pag. 201. & 202, pluribus lector edocetur.

## §. XXXXII.

Prius tamen, quam celotomiae, quam nonni si summa manuum dexte-  
ritate adgredi licet, accingat se se fatus operator, nihil intentatum relinquere  
debet, ut vel fomentis superioris commendatis vel oleis emolliendi & hume-  
randi vi gaudentibus partem intestini elapsam, renisu ejusdem non obstante,  
relaxare & emollire siue blandissimo, quantum fieri potest, modo tentare  
suscipiat; Quod consilium speratum quandoque successum habuisse. Praeti-  
corum observationes irrefragabiles sunt testes, dummodo ea cum circumspe-  
ctione praelaudata remedia adplicantur, ut in casu gravioris inflammationis  
omittantur, quia alias non sine ratione metuendunt eis, ne gangrena tan-  
demque sphacelus intestinulo elapo induciantur. Quod si autem bonis avi-  
bus restituto fuerit peracta, ad miraculum usque non atrocissimi tantum do-  
lores sed & vomitus stercorum cessabunt, imo & intestina ipsa suo consueto  
perfusgentur officio & per portam ordinariam excrementa alvina denuo e-  
gerentur. Ne vero intestinum hoc artificio repositum tam facile iterum lo-  
cum suum derelinqueret valeat, de subligaculis idoneis, qualia hodie ubi vis-  
fere parantur, patientibus est prospiciendum. Atque hoc proinde casu celo-  
tomia

*tomia possumus supersedere, quae quippe non nisi in desperatisimis casibus reliquis omainbus frustra & incassum adhibitis, locum habet.*

## §. XXXIII.

Praeterea eo adlaborandum est medico, ut tonus fibrarum intestinalium admodum irritatus demulcatur, & peristalsis inversa ordini suo naturali restituatur; Id quod antispasmodicis, ex §. diaph. rec. conchis vel lap. §., ① depur. ② lat. Tachen, praeparatis, singulisque tritioris vel quadrirrhinis diligenter repetitis, omnium optime praefabatur.

## §. XXXIV.

Similiter inflammationi ac febri blandis diaphoreticis, arcano duplicato aliisque talibus propiscendum est; in primis vero venae factio, primis statim diebus, potissimum in plethorics & subiectis haemorrhoidariis & quidem in pedibus concelebrata neutiquam est omittenda.

## §. XXXV.

Si qui restinent status molesteque patientem adficiant, blandiora carminativa, ex Esi. C. O. tior, casearill. gent. r. & carminat. Wed. parata & cum potu Caffee, qui egregie patientibus talibus conductus exhibita, commendanda fuerit; Quibus iisdem remedis etiam tono, totidem vomitibus admodum labefactato eximie succurrunt, arque proficitur.

## §. XXXVI.

Denique diaetas tanto solerter hoc in affectu ratio habenda est, quo manifestius est, efulenta vel potulenta, flatibus generandis apta, potum v. g. gelidum simultaneum ingestum, cerevisiam turbidam, nondum satie defecatum, refrigerationem subitam, toto in primis corpore sudoribus madido, abusum itidem leguminosorum, v. g. piforum fabarumque, in primis si gelida copiosius superbita fuerit, aliasque tales caussas morbo occasionem praecepisse. Si quae anomalies haemorrhoidales in viris vel menstruales in foemini subtus versentur, eas quoque in ordinem redigisse conveniet. Inter pavium irritare & exacerbare solet. Obstructiones alvi, quibus subinde occipiari iterum solem ejusmodi patientes, diu nunquam tolerandas sunt: Occurrit satis quidem efficaciter, attamen sine vehementi stimulo, illis potest pilulis polychrestis, Stabilianis vel Beccherianis, vel aliis ad illarum similitudinem compositis. Vietus denique, quo tenuior, eo quoque melior est. A qua hordci, cui tamen vini ihenani antiqui & generosi pauxillum sit permixtum, potus ordinarii loco inservire poterit. Jufcula avenacea nec non juscum, Reliqua prudentiae ac peritiae medicorum praesertim practicac commendamus.

F I N I S.





**ULB Halle**  
007 662 939



3

WIP





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

### Farbkarte #13

1735, 2  
AUGURALIS  
82. 30

I A,

MAXIMO  
NA  
S MEDICAE

TOMARI

RD. h. t. FAC.  
S. PHYS. ORD.

OMNI HONORIS

EENDI,

TORIS  
ONORIBUS,  
S RITE AC

IS

XV.

VETIS  
examini

DITMER,

S.

JARTZII, A. R. T.